

Bernhard Latomus

**ORATIO BREVIS || DE || LVMINARIVM || COELESTIUM OBSCU=||RATIONIBUS ET  
DELIQUIIS,|| QVAS ECLIPSES DICIMVS, ET SPE-||ciatim de iliâ, quae 14. die  
Aprilis Anno || Christi 1595. in Lunâ || contigit,|| ... scholae Neobrandenburgen-  
||sis ... || recitare decreverat || M. BERNHARDVS LATOMVS || Scholae ibidem  
Proreector.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1595

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041861486>

Druck    Freier  Zugang



IIb

3298



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1041861486/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041861486/phys_0001)

Univ. Buchbinderei  
R. Fuchs  
Nachf. Paul Zech

S II b - 3298







STh.

72

ORATIO BREVIS  
DE  
**LVMINARIVM  
COELESTIUM OBSCU-**

**RATIONIBUS ET DELIQUIIS,**  
**QVAS ECLIPSES DICIMVS, ET SPE-**  
ciatim de illâ, quæ 14. die Aprilis Anno  
Christi 1595. in Luna  
contigit.

*Quam pro consuetudine scholæ Neobrandenburgen-  
sis, Dominicâ Palmarum, nisi eodem die aliud  
impedimentum officij ratio attulisset,  
recitare decreverat*

**M. BERNHARDVS LATOMVS**  
Scholæ ibidem Prorector.



**ROSTOCHII**  
Typis Augustini Ferberi Junioris,  
Anno 99/149  
—  
**CID. CI. XCV.**

PIETATIS, PRUDENTIAE,  
ERUDITIONIS ET VIRTUTUM  
laudibus splendidissimis viris  
**ILLUSTRIS REIPUB.**  
**VVISMARIENSIS DOMINIS**  
Consulibus & Senatoribus dignissimis, Dominis meis &  
fautoribus benevolentissimis, per-  
petuò reverendis.

Orationem hanc, quæ mihi pro schola nostræ legibus  
hoc quadrante anni habenda fuit, ad amorem  
patriæ & memoriam, quam dum vixero, conser-  
vabo perpetuam, qualicunq; modo  
declarandum.

Offero, Dico, Consecro

*M. Bernhardus Latomus  
Wismariensis.*



**R**Everendi, nobiles, doctissimi, spectatissimi-  
miq; viri, Ephori colendi, & adolescen-  
tes charissimi, si multis apud vos excu-  
fare me vellem, cur hanc Cathedram,  
ex quâ haec tenus nihil, nisi benè elaboratum ab a-  
lijs audistis, ego nunc ad dicendum ascenderim,  
cum præsertim meo me pede metiens, eruditio-  
nem, eloquentiam, & autoritatem tantam afferre  
non possim, quantam officij ratio in me desiderat;  
certè aetum agerem. Multoq; majori laudi datum  
mihi iri existimo, si laudabili hujus scholæ mori,  
qui has dicendi partes mihi imponit, morem ges-  
sero, quam si ob nescio quam affectatam modestiæ  
laudem munus hoc utile subterfugero.

Non itaq; utar magnificâ & in exordijs usitatâ  
mediocritatis excusatione, cum benevolentia &  
attentionis aucupio conjunctâ, nec multum præ-  
fabor, sed rectâ ad causam ipsam accedam. Cona-  
bor autem ea, quæ animos nostros ad divini nomi-  
nis & numinis cultum venerabilem accendant, &  
beneficiorum Dei agnitionem prædicationemq;  
in nobis excitent, in medium afferre, & dicam de  
Eclipsibus seu defectionibus luminarium, & ita di-  
cam, ut illarum speices, causas & effecta, quoad O-  
rationis fert connexio, breviter exponam. Con-  
veniens profectò huic & congresui, & temporis  
argumentum, quod dum minore fortassis cum  
successu & orationis splendore, historiarumq; re-

A 2 quis-

quisitis, pro virium renuitate mearum exequor;  
dabitis veniam conatui, & me balbutientem po-  
tius quam dicenter, solita benevolentia & facili-  
tate audietis: quodipsum, ne dubitare videar, plu-  
ribus haud rogabo.

Vates divinus Moses libri procreationis rerum  
omnium capite primo docet, in primâ creatura-  
rum origine à Deo omnipotente non solum æthe-  
ream lucem, sed etjam cœlestia lumina lucis istius  
capacia creata esse. Cum vero nemo tam sit ex-  
pers atq; ignarus omnis religionis, si modo sacra-  
rum literarum volumen primoribus, quod ajunt,  
labris gustayerit, aut extremis digitis attigerit,  
quin sciat Deum creatorem creatæ istius lucis usu-  
râ non egere, quippe qui res quascunq; etjam in  
locis maximè abditis & ab arbitro liberrimis, non  
minus cogitatas, quam designatas præsens aspicit;

Psal. 139. ut Israëlitarum rex Davides de ipso canit:

Obscura tenebris nostra nox luce est tibi

Meridiana clarius.

Tibi nec tenebrae sunt tenebrae, nec tuæ

Nox ulla providentia est;

1. Tim. 6. Imò qui lucem inhabitat eam, ad quam aditus  
mortali patet nemini: consequitur, lucem istam  
propter nos esse conditam; propter nos, inquam,  
quibuscum quotidiè & prolixè jucunda utilitas lu-  
cis & peramæna salubritas, à luminibus cœli, Sole  
præsertim & Lunâ communicatur. Etenim ut rem  
in pauca conferamus, Lux illa, nobis hominibus,  
qui

qui eâ lege generati sumus, ut globum in universo  
mundi templo medium tueremur, tum reliquis a-  
nimantibus telluriq; ipsi duos præcipue fructus af-  
fert, Splendorem & Calorem. Splendor facit, ut il-  
lustria Dei opera tam in orbium cœlestium ex-  
pansionibus, quâm in aere intermedio eiusq; dictis  
Metheoris, tum in globi terrestris ambitu distin-  
cta intueamur; unde etjam D. Paulus lucem de- Eph. 5.  
scribit, quod omnia omnibus manifesta reddat.  
Facitnè splendor, ut alba & atra reliquasq; colo-  
rum differentias discernere? ut errantibus viam  
monstrarer? ut alter alterum conspicere? imò ut  
nosmet ipsos videre? & similia opera innumera  
expedire possimus? Calor verò, sine quo lux illa  
esse non potest, calorem omnibus rebus natura-  
lem, qui proportione quadam, (ut Philosophus  
summus Aristoteles ait) cœlesti calori respondet, genera-  
infundit, & vires ad vitam insitas excitat, foveat, rione a-  
adauget, adeò ut res sine hac luce nec nasci possint animali-  
nec natæ conservari. Atqui si lucis tanta utilitas & 3. lib. 2. de  
est, tamq; necessaria salubritas, ipsimet cogitate  
(contrarijs enim opposita contraria magis eluce-  
scunt)quâm ominosæ, quâm pestilentes sint tene-  
bræ, hoc est, lucis privatio, quam generatim græcâ  
voce ἐκλειψίη, latinâ defectionem nuncupamus, à  
verbo ἐκλειπω, quod in agendi significatione signi-  
ficat derelinquo, in absoluta, desum seu deficio.  
Percunctamini Christum: & ille respondebit,

A 3      quâm

quām facilē offendat, quām repente vacillet, vel  
Ioh. 12. labatur potius, qui in tenebris ambulat, luce vide-  
licet mundi destitutus. Percunctamini regem Da-  
Pſ. 107. videm⁹ is captivorum, qui in tenebrofis carceri-  
bus vinc̄ti continentur, ærumnosas deplorat miser-  
rias. Percunctamini Davidis filium Salomonem⁹  
Sap. 17. is exemplum refert Ægyptiorum, quos Eclipsis il-  
la, per triduum quæ duravit, ita movit, turbavit,  
exanimavit, ut præ nimiâ dolorum acerbitate &  
metus magnitudine, non modo nullas admittere  
consolationes voluerint, sed eorum etjam multi  
mortiferis insidiosi Diaboli temptationibus malè  
vexati, exanimes perierint. Gratiæ igitur Deo, qui  
nos nocturnarum tenebrarum frigore depulso, di-  
urnæ lucis calore perpetuò reficit & beat, singulis  
diebus à nobis agendæ essent; sed ingrati raro aut  
nunquam hac de re cogitantes, cœlesti illâ luce li-  
berè abutimur, flagitiosâq; turpium operum no-  
strorum fœditate temerè inquinamus; Deum pa-  
trem luminum petulanter posthabemus, Diabo-  
lum principem tenebrarum improbissimè vene-  
ramur: Sanctos Angelos lucis spiritus impudenter  
abigimus: imò cœlum ipsum ita commovemus,  
ut lumina sua, ne impietatem nostram & flagitia  
conspiciat, præsertim in Sole & Lunâ claudat, o-  
stendens se non libenter obnoxium esse nobis, qui  
digni simus, ut aureæ lucis salutaribus radijs priva-  
ti tetrâ ac perpetuâ crassarum tenebrarum caligi-

ne

ne obruamur. Omnes igitur & singuli, si cœlum vel natura aut potius Deus ipse lucem nobis admitt, quemadmodum crastinâ luce ante Solis ortum in lumine Lunâ fiet, unde fiat, intentis animis piè consideremus.

Contingit autem Eclipsis, ut græcam vocem & generalem retineamus, aut in Sole, aut in Lunâ: illa propriè labor dicitur; hæc defectus. Quia enim Soli, tanquam fonti lucis & auctori, lux immutabiliter inest, nec inferiorum planetarum ulli tanta est magnitudo visiva, ut lucem ipsius auferre possit: idcirco ipsius radij saltem, ut toti hemisphærio non micent, à Lunâ, intercipiuntur. Est igitur labor Solis, non defectio lucis, sed tantum radiorum ipsius interceptio seu interclusio aut aversio, quam efficit obscura lunæ densitas in coitione seu novilunio inter Solem & visum nostrum posita: inter visum, inquam, nostrum; quia tum maximè Sol obscuratur, quando in unâ lineâ rectâ sunt non centra trium corporum, Solis, Lunæ & terræ; sed lumina & visus noster constituta. Cum enim luna tam sit vicina terræ, ut hujus semidiametrum ad illius distantiam, sensibilem habeat quantitatem, sit ut oculorum nostrorum acies verum lunæ locum apprehendere non possit, sed luna è superficie telluris visa, in alio cœli loco, quam revera est, vel versus longitudinem, quam Græci παράλληλη μῆνος nominant, vel versus latitudinem, quam

παράλ-

ταξιδιώτης τολμέων, nobis appareat. In Lunā contraria est ratio. Negari quidem non potest, lunam luce propriā præditam esse. Testatur hoc non solum ipsius cognomen, quod cum Sole commune Esa; 30. habet; sed etiam sacrorum Vatum, præsertim Isa- Hier. 31. iæ, Hieremiac & Ezechielis voces veridicæ, quibus Ezec. 32. tam reliquis stellis, quam lunæ propriam lucem ascribunt. D. item Apostolus Paulus non carentia 1. Cor. 15. lucis, sed gradu duntaxat Solem & stellas reliquas III. discernit. Comprobat experientia. Si enim omni luce careret, prorsus evanesceret, nec quicquam de eâ cerneremus, semperq; eodem conspiceretur colore: Sed cum pro motus diversitate diversos in obscurationibus referat colores, interdū nigrum, interdū subfuscum, interdum subrufum: sequitur lunam luce propriā omnino non carere. Atqui illa lux exilis est & obscura, nec tanta ut caliginem, quam umbra terræ obducit, dispellere valeat; alioqui ipsam, nec interventus corporis opaci & densi, quod radios corporis luminosi, Solis scilicet intercludit, videlicet ingressus ejus in umbram obsecrarent.

Constat itaq; Lunam, etiamsi propriā aliquā luce constet, mutuatione tamen lucere alienę, quæ si terra in mediā mundi sede locata, solida & globosa Soli offecerit, ne Lunæ in eadem cum terrā, diametro sibi oppositæ, lucem suam communiceat, rursus amittatur necesse est. Hinc Eclipsin lunæ

lunæ rectè definiunt defectum lucis Solis in corpore lunari, quem umbra terræ luminarium corporibus diametaliter interjectæ in plenilunio efficit.

At hic quæritur, & quidem non incommodè, cum in definitionibus Eclipsium dixerim, soli in novilunio offici, Lunam verò in plenilunio deficere, cur nec in omni coniunctione Sol, nec in omni oppositione Luna obfuscetur? Quod si tam Luna, quam Sol, nunquam ab Ecliptica linea sive in Austrum, sive in Boream digrederetur, singulis mensibus & Lunæ & Solis Eclipses acciderent: Sed quoniam Luna alternis vicissitudinibus in utramq; partem à semitâ Solis deflectit, nec mensurae contingunt Eclipses. Eclipsium enim contingentia ex soli latitudinis lunaris consideratione dependet. Nam si Luna tum coniunctionis, tum oppositionis tempore aut nullam habet latitudinem, cum videlicet in ipsis intersectionum nodis (quos vulgo caput & caudam Draconis nominamus) vel conjungitur Soli, vel opponitur, aut extra illas sectiones quidem, sed tamen intra terminos Eclipticos in coniunctione latitudinem visam 35 minutis, in oppositione veram latitudinem minutis 65 minorem Luna habuerit, Eclipsis certò continget: Unde sic concludo, quamvis Luna singulis mensibus ad easdem vices exeat, non tamen toties, nec Solem adimi nec Lu-

nam deficere, nisi utrimq; iis, quos dixi, limitibus  
conjugantur vel opponantur; & pro hujus lati-  
tudinis quantitate variâ, variari etjam Eclipses.  
Quo enim minor fuerit latitudo lunaris, hoc ma-  
jores erunt cum in Sole labores, tum defectiones  
in Luna.

Etsi autem & quæstionem hanc & responsio-  
nem conjunctè de utriusque luminaris Eclipsibus  
proposui: tantum tamen abest, ut inter se conve-  
niant, ut ferè nullâ in re major possit differentia,  
nulla perspicua magis inveniri. Etenim labores  
Solis fiunt, cum utriusq; luminis sit aut sub linea  
Eclipticâ coitio, aut prope eam congressus; Lunæ  
vero deliquia, cum se terra Soli & Lunæ, ne Sol  
Lunam in nodis oppositis, aut inde non procul, ra-  
diorum nitore suorum illustret, interponit: Illi  
item fiunt, cum Luna est nova, ipsiq; à Sole paula-  
tim recessuræ lucis adjungetur accessio; hæc con-  
trà cum Luna pleno orbe lucet, eiq; sensim ad so-  
lem accessuræ, lucis accedet decessio: Ibi Luna cor-  
pus densum & opacum non solum inter Solem &  
visum nostrum, aut si veram conjunctionem re-  
spicis, inter Solem eundem & terram se interpo-  
nit: sed etiam corporis sui umbrâ terrâ obscurat;   
hic contrà terra solidi sui corporis inter Solem &  
Lunam interjectu, umbrosis tenebris Lunæ corpus  
circumfundit: Ibi porrò ei solo, ubi ille quem dixi,  
utriusq; luminis sit congressus, non Soli lux adi-  
mitur;

mitur; hic verò re fit & veritate lucis ademtio: quæ  
et jam, sive tota Luna, sive ejus pars obscuretur ge-  
neraliter omnibus, in eà terræ medietate, ubi Luna  
videtur, obtingit; at ibi labores, ( licet Sol et jam,  
quemadmodum de Luna jam dictum est, respectu  
aspectus nostri interdum totus , interdum parte  
sui obfuscetur ) nunquam sunt generales seu uni-  
versales, cum Luna propter corporis sui parvita-  
tem Solisq; magnitudinem non dimidiam , sed  
exiguam telluris partem umbræ caligini invol-  
vat: ideoq; nec alijs, nisi quorum obtutui exilis Lu-  
næ umbra obversatur, Solis labores conspicunt:  
Qui deniq; labores, eò quod Luna proprio motu  
ab occasu veniat, ab occidentali parte , corporis  
solaris incipiunt; Lunæ verò defectiones à parte  
illius corporis orientali. quanquam prius partem  
umbræ occidentalem introeat. Possem hic præ-  
terea , nec insulsè, quædam non injucunda move-  
re, videlicet quomodo Soli corpus Lunæ minus,  
ex veræ suæ distantia ratione possit officere : quæ  
sit ratio umbræ & quantitas: quæ sit hujus doctri-  
næ jucunditas: quanta ea utilitas, quam præter re-  
liquas affert, ut inde non modo trium illorum cor-  
porum, Solis, Lunæ, terræ magnitudinum ad se in-  
vicem proportionem generalem habeamus, ve-  
rum etiam maxima cum delectatione ex distantia  
primum Lunæ, quam parallaxis ejus insinuat, &  
ex Lunæ quantitate, quam angulus Lunæ visivus

B 2 hinc

hinc exhibet: Demum ex Umbræ in loco transitus seu distantiæ Lunaris diametro seu crastitie collata, cum Terreni globi ubique hic assumpto & præcognito diametro, veram quoque & Distantiam & quantitatem Solis hinc eliciamus & cum prædictis conferamus. Sed quia me è cursu orationis cœpto tacitè revocatis, ut & temporis & loci rationem habeam, ne quantum libeat, dicam, sed quantum liceat; hæc de causis utriusque Eclipseos generatim breviterq; dicta sufficiant. Contingit autem utraque quam dixi, Eclipsis aut naturaliter, aut non naturaliter. Naturaliter fieri dicitur cum Astronomus illius causas, de quibus haec tenus disserendum est, ex motu utriusq; luminis reddere, & ex præceptis matheios exactissimè quantitatem investigare potest & prædicere. Exemplo rem declarabimus. Hac nocte antelucanis horis Lunæ deliquium exspectamus, quod an naturaliter contingat, considerandæ sunt semidiametri & umbre, quam terræ corpus facit maximam 47. Scrupulorum, & Lunæ apparentis, itidem maxima 18. Scrupulorum: quæ addita 65. conficiunt. Etenim si Luna in duo puncta in viâ Solis sese interficienda, (quæ caput & caudam Draconis vocari diximus) aut proximè ea inciderit, hoc est, si vel nullam latitudinem vel minorem 65 scrupulis habuerit, necesse est eam ex naturæ legibus deficere; Sed si latitudo Lunæ eam quantitatem semidiametrorum

rum conjunctam superaverit, nulla ejus pars ob-  
scurabitur, sed tota extra conum umbræ transcur-  
ret, nusquam illam attingens. In hac verò opposi-  
tione inveni, secutus scilicet Alphonsinarum ta-  
bularum calculum, quem ideo sequor, quod mihi  
à præceptoribus meis, præsertim à doctissimo vi-  
ro, Domino Magno Pegelio, Medicinæ & Philo-  
sophiæ Doctore, & mathematum in Academia  
Rostochiensi professore splendidissimo, & propter  
facilitatem & propter certitudinem maximopere  
fit commendatus; inveni, inquam, & semidia-  
metrum Lunæ apparentem 17 scrupulorum pri-  
morum,  $4^{\circ} - 26$ , & latitudinem eamquæ Meridio-  
nalem descendenter  $8 - 54$ : quæ superioribus ad-  
dita, quia 65 non excedunt, sed tamen  $26 - 34 - 26$   
conficiunt: ergo Eclipsi Lunæ certissimè est futu-  
ra. Jam cum Luna longe minorem habeat latitu-  
dinem semidimetro umbræ, (quæ est  $45 - 47$ )  
idcirco non solum integrum Lunæ corpus in um-  
bram occurret, sed etiam deficiens diutius in eâ  
commorabitur. At quamdius? Ex ijsdem tabulis,  
hujus obscurationis magnitudinem præcisè inve-  
nio 18 unciarum (quas vulgo digitos nominamus)  
31 scrupulorum primorum  $19$ . Unde tota Luna hac  
nocte cum magnâ morâ deficiet. Et licet Eclipsi  
Lunæ quæcumque uno plane & eodem temporis  
momento quibuscumq; eam aspiciens, ut dixi-  
mus, contingat, si tamen naturale tempus (quod re-

centiores Astronomi artificiale nuncupant) respiciimus, serius hanc lucis lunaris defectionem conspiciunt ij, qui in eodem terræ hemisphærio versus ortum habitant, quām qui versus occasum, hoc est, hi non tot horas noctis ab occasu Solis usq; ad tempus deficientis Lunæ, quām illi numerant; ut Eclipsis quam Alexandri exercitus ad Arbela secundâ horâ noctis vidit, in Siciliâ sub noctis visa est initium. Quam diversitatem parit terræ tumor, qui facit ut populis orientalibus Sol ocyus, quam occidentalibus & obeat & noctem afferat. Quia igitur occidentales serius noctem habēt, sit etjam, ut illis tempus Eclipsis visæ non tam longè ab initio noctis distet, quam orientalibus, quibus Sol & reliquæ stellæ citius occidunt. Ad hanc verò Eclipsin quod attinet, ea nobis sub altitudine poli nostri ita conspicietur, ut initium fiat hora secunda,

$\frac{1}{39} - \frac{37}{37} - \frac{43}{43}$ ; medium hora quarta,  $\frac{33}{33} - \frac{26}{26} - \frac{0}{0}$ ; finis hora sexta  $\frac{1}{27} - \frac{14}{14} - \frac{16}{16} - \frac{23}{23}$ . Etenim minuta casus inveni  $\frac{1}{3833}$ ; tempus correspondens  $\frac{1}{1} - \frac{53}{53} - \frac{48}{48} - \frac{1}{1} - \frac{23}{23}$ . Cujus duplum totius Eclipsios durationem patefacit, videlicet  $\frac{1}{5} - \frac{47}{47} - \frac{36}{36} - \frac{1}{32} - \frac{46}{46}$ .

At quorsum hæc edisseroꝝ ut cogitemus, quomodo ejusmodi ominosas luminum affectiones recte nobis conveniat intueri.

Fuerunt enim, præsertim Ethnici, non tam, quām nostrâ memoriâ Dei beneficio eruditorumque virorum institutione sumus, Astronomica-

rum

rum rerum scientiā imbuti , qui conspectis tristi-  
bus luminum deformibusque aspectibus metu ex-  
horuerint, propter innatam ipsorum animis præ-  
fagationem, fieri nimirum non posse, quin malum  
certissimum inde & periculum inevitabile perti-  
mescendum esset. Quemadmodum (Polydoro Vir-  
gil: & Quintiliano citantibus ) Plutarchus refert,  
Niciam in Siciliā defectu Lunæ ita perterritum, ut  
integrum triduum nihil contra hostes ausus pul-  
cherrimum Atheniensium exercitum perdiderit.  
Quis ignorat, id quod Val. Max. ex Livio comme-  
morat, L. Paulum contra regem Persen bellum  
gerentem, cum serenâ nocte subito Luna defecis-  
set, eo veluti diro quodam monstro, metu esse per-  
turbatum, & reliquas copias manuum cum hoste  
conserendarum fiduciam penitus amisisse? Quid  
de Atheniensibus dicam, qui propter Solis labo-  
res derepentē ortos insolitis circumfusi tenebris  
tantâ sollicitudine agebantur, ut interitum sibi de-  
nunciatione cœlesti arbitrarentur portendi? Hi,  
quos dixi, homines Ethnici, non tantum expave-  
runt visis ejusmodi luminarium Eclipsibus, sed et-  
jam præ metu futurarum calamitatum, causam il-  
lis assignare naturalem scelus & majestatis crimen  
censuerunt: unde & Anaxagoram, qui primus in-  
vestigasse Eclipsum rationes perhibetur, in carce-  
rem detrusum legimus, & vix ac ne vix quidem  
intercessione Periclis liberatum: & Protagoram

Athe-

lib. 1. c. 17  
lib. 1. c. 18  
in Nicia.

lib. 8. c. 11  
lib. 4. de.  
Sexta.

Athenis pulsum, Mathematicasq; artes totâ Græciâ esse profligatas. Fuerunt deinde alij, qui ejusmodi luminum cœlestium affectiones planè neglexerint, contemserint, deriserint; quorum è numero Pericles fuisse dicitur, qui ingressus navim, cum subitò terribilis Eclipsis Solis primo anno belli Peloponnesiaci consiperetur, ut eò facilius Navarchum pavore, qui omnem fiduciam illius ex animo expectoraverat, liberaret, pallio oculos ipsius obnupsit, ac deinde amoto pallio rogavit, nunquid ipsi alijsue aliquid mali evenisset, eò quod exiguo tempore oculi fuissent impediti, longius ne prospicerent? ita inquit, nec Soli, nec nobis obest iste interventus Lunæ, qui paulisper conspectum Solis nobis adimit: atqui ille acerbissimas profanæ temeritatis pœnas tulit. Nam præter funestum bellum tanta pestis violentia consecuta est, ut brachia, pedes, capita, hoc modo inflammatâ à reliquo corpore putrefacta deciderent. Hunc Ethnicum Periclem multi etiam inter nos, qui à capite seu præside nostro Christo Christiani, hoc est, pij magis religiosioresq; dici volumus & haberi, ex merâ incuriâ imitantur. Etenim cum tam crebrò & Sol prematur & Luna obscuretur, regulam ex frequentiâ statuimus, & libros supputationesque de ijs consribentes, domini Naturæ fieri volumus, & unde timiditatis causam colligere debemus, inde securitatis ansam perversâ interpretatione.

tatione arripimus, ut tandem omnes illæ interrup-  
tiones & mutationes, naturæ ipsius naturâ fieri  
credantur. Imò quia ex præscriptis legibus Astro-  
nomorum atq; canonibus certissimè possunt Ecli-  
pses prædicti, quæ quondam visæ fuerunt Ethnicis,  
ut modò dictum est, miraculosæ, apud nos illa mi-  
racula amplius miraculi nihil habent, sed ut Augu-  
stinus queritur, tempore & crebritate vilescunt,  
quippe quæ sola raritate miracula censemur. Iosua,  
cum sibi diei quantitas ad conficiendum contra  
Cananitas prælium sufficere non videretur, Sole  
ad obitum properante, maximo Zelo & fervore  
ad utrumq; luminare conversus, tanquam impera-  
tor & dominus tam cœlestis exercitus, quam ter-  
restris, imò tanquam Deus ipse sic compellavit:  
Age Sol siste cursum Gibeone, & tu Luna Aja lone,  
hoc est, Vos quorum luce admodum adhuc e-  
geo, celeri vestro motu & occasu moram mihi in-  
jicitis, quo minus hostes persequar, fugem, fundam:  
ideoq; vobis edico, ut aliquantum remorant-  
es servitio vestro mihi gratificemini, donec inju-  
riæ populo Dei illatæ ulciscendæ gratiâ de hosti-  
bus supplicium sumsero: quod etjam impetravit  
& miraculum jure censetur stupendum; at si cre-  
brò fieret, miraculum esse desineret. Sol singulis  
diebus universum orbem luce perfundit; diem  
quoq; & annum & anni tempestates metitur: ar-  
bores florent, fructum ferunt, fatiscunt; demum

Ios. 10.

C

repul-

repullulant, revirescunt, reviviscunt: humorem  
terræ, vitis palmes in vinum; granum in spicas; se-  
men in herbam; nucleus in lignum, in arborem  
prolixam vertit: tot homines porrò singulis horis  
in Mundo immenso unā in lucem prodeunt, ve-  
getantur, ac crescent: Sunt hæc utiq; tanta mira-  
cula, ut nulla creatura imitari ea, nulla assequi, nul-  
la emetiri, nulla non stupere possit: Solius Jehovæ  
esse miracula, & natura te docet, & ipse negare  
non potes: Attamen quia perpetuò ista continge-  
re vides, non respicis, non animadvertis; si vel mi-  
nimum horum sit novum, sit inauditum, protinus  
admiraberis & obstupesces. Quod si quotidie in  
sole, in plantis, in hominibus miraculum aliquod  
videre detur, intra centum paucioresū annos, mi-  
raculum ex consuetudine in naturam abibit, unde  
tandem pro persuadendo mundo, mundum no-  
vum in mundo necesse esset creari. Exemplo sit  
populus Israëliticus miraculis pastus, potatus, edu-  
catus, educitus, qui paucioribus 40. annis miracu-  
lum in naturam convertit, (non secus ac qui phar-  
macis nimium assuefiunt, ea in alimentum mu-  
tant) fidei præsidijs ad diffidentiam abusus. Sic et-  
jam multi, ut ad rem redeam (intelligo enim me  
non nihil extra causam dixisse; sed nimia quorun-  
dam hominum oscitantia in miraculis naturæ in-  
tuendis, tum vestra in me attentè audiendo beni-  
gnitas orationem provexit: quod ejus, quæ restat,

ora-

orationis brevitate compensabo;) multi, inquam, hominum, etiam Christianorum, Eclipses luminarum ob crebritatem non solum non stupescunt, non metuunt, sed etiam aut nihil curant, aut cum Pericle flagitiosè derident.

Quomodo igitur recte & piè cum aliàs, tum hac nocte, quæ cōtinget, Eclipsin intuebimur? Si nempe & admireremur & quid Eclipses præsignificant, attendamus. Etsi enim scimus omnes, nec quisquā inficiatur, ex continuata motuum legē, alterutrius luminis splendorem nobis adimi, quotiescumque circa intersectionum suarum cōmissuras vel conjunguntur, vel inter se opponuntur, tamq; certò & necessariò, ut multò ante possint prædici Eclipses non minori certitudine, quā si coram cernerentur. Admiratione tamen dignum est, Solem, quem Syracides miraculum altissimi, Cicero ducem & principem moderatoremq; luminum reliquorum, mentem mundi & temperatorem nominat, cuius tanta est magnitudo, ut cuncta luce suâ lustret & compleat; nonnunquam lunæ interjectu faciem suam abscondere. Admiratione item dignum & plenum est, pleno orbe tam nitidè lucentem Lunam tantam facere lucis jaëturam, ut omni prorsus candore orbata tota horreat. Ideoq; non solum hæc luminarium deliquia magnam, vt dixi, admirabilitatem faciunt, sed etiam certam quorundam eventuum significationem & effecta habent. Un-

Cap. 43.  
in Somn.  
Scip.

C 2 de

de idipsum judicatur : partim ex Theologia, partim ex Astrologia.

Astrologi (ut εἰςερού ἀρχότερον dicam) quanquam Eclipsium significaciones à priori seu ex principijs naturā nobis ingenitis ; aut demonstrationibus Geometricis, quibus in consideratione Eclipsium Astronomi insistunt, exactè ostendere nō possunt: nituntur tamen experientiæ eruditæ argumento. Cum enim consecratrices Eclipsium effectiones, earundemq; inter se convenientiam longo atq; diligenti studio observarunt, simul deprehenderunt, quæ pericula quibus gentibus præmonstrarent. Cum autem longum nimis foret omnia Astrologorum de Eclipsibus judicia generalia colligere, nec illud hujus sit loci, nec temporis: ad speciale judicium & singulare de hoc Lunæ defectu attendendum, animos quæso reficite: ego quām possum brevissimè percurram. Mathematicus insignis Proclus judicat, hanc Eclipsin, quia in m& quidem in prima facie seti intra primas signi partes denas contingat, obscuræ plebis ignobilisq; vulgi interitum; diuturnas bellorum seditiones; multas pluvias; item horrenda tonitrua & fulgura; nonnunquam etjam terræ motum portendere. Singulare autem judicium petitur ex figurâ cœli ad tempus oppositionis verum erectâ , ex cuius intuitu primo , et si Venus & Jupiter cum dignitatum essentialium testimonia plura quām planetæ cæteri habent,

beant, videri poterant boni aliquid promittere:  
Quia tamen Mars in locis, ut vocant, hylegialibus  
reliquorum est fortissimus & aliæ significationes,  
quæ illorum dignitates minuant, cōcurrunt: Mar-  
tem hujus Eclipfios dominum facio & tristissimos  
eventus metuendos esse colligo. Nam si ipsum Lu-  
næ locum, septimam scilicet domum & cardinem  
cholericum: signum item defectionis pituitosum,  
aqueum & frigidum considero, (nolo tamen arro-  
ganter mihi quipiam sumere, aut meo judicio a-  
liorum doctorum hominum, judicij fieri præjudi-  
cium) cum Rantzovio nobilissimo & doctissimo  
heroë, senum clades & interitum prædico; itemq;  
tantam cum legum & religionis mutationem,  
tum castimoniæ & pudoris jacturam, ut, quia non  
solum Iovi & veneri religionis & castitatis signi-  
ficatoribus non nisi in odiosissimo (Astrologicè  
loquendo) & malis ominibus detestabili loco cæli,  
locus conceditur; sed etjam signa eorum ab om-  
nibus domorum cœlestium cuspidibus protru-  
duuntur: pietas & verecundia omnino ferè ex-  
ulare cogantur, & ab ijs, qui superfuerint, aliorum  
impuritatis contagio non inquinati, Deo omni-  
potenti grates agendæ sint immortales, quod eos  
tum inter tot acerrimos pestilentium hæresium  
defensores, qui salutarem veræ religionis cultum  
ex animis hominum, auferre, evellere, extirpare  
fategerunt; tum inter libidinosissimos verecun-

In Ca-  
lendar.

C 3 dix

diæ oppugnatores, qui decus castitatis & pudoris  
observantiam ex urbibus, & agris, ex regnis & im-  
perijs, imò ex naturæ humanæ finibus expellere,  
exterminare, eijcere velis equisq; (ut in proverbio  
est) conati fuerunt; quod, inquam, eos vel in despici-  
catissimo terræ loco & in cōtemtissimo gurgustio  
benignè cōservaverit. Quod si & signi, in quo Lu-  
na deficit, & Horoscopi dominum Martem sive  
etjam ut utriusq; malefici planetæ, Martis & Satur-  
ni loca portentosa, unde Lunam intuentur ( ille ex  
domo duodecimâ, quæ malus Dæmon nuncupa-  
tur; hic ex sextâ, quæ valetudo & mala fortuna: u-  
terq; autem ex loco cadente & aspectu maligno,  
scilicet quadrato) perpendo: pronuncio Martem  
quidem fervoris sui vehementia corrupturum o-  
mnia; ac bella horrida seditionesq; intestinas; con-  
jurationes; principum obitus inopinos; morbos  
acutos; pestem; mortem violentam; rapinas; incen-  
dia, latrocinia, captivitates, injurias & contume-  
lias acciturum: senem vero Saturnum ex æde mor-  
bis nobilitatâ, morbos diurnos, catharros, ta-  
bem, febres quartanas, luctus animi & interitum  
seniorum. Huic meo judicio adjungam prædictio-  
nenm Albumasaris, qui affirmat, caudam Draconis,  
si (ut in hac Eclipsi unâ cum Lunâ est) in signo  
Scorpij fuerit, minari febres & varias pectorum  
affectiones: item gaudia principum tyrannorum,  
quibus voluptatibus ex bellorum felicitate conce-  
ptis

ptis exultabunt, cum scilicet vident suam amplificari potentiam, opes, gloriam, imperium; aliorum verò angustari. Quibus autem populis hæc mala portenduntur: ex signo deliquij, & quæ illud tam opposito aspectu, quam quadrato intuentur hoc ipsum desumimus. Qui ergo signis  $m$   $\sigma$   $\Omega$  &  $\approx$  sunt subjecti, (id quod ex Cosmographiâ pertinet) illis mala dicta erunt præcipue pertimescenda. At si de tempore queritur, quo ista mala sertere cœperint: comperio ex recentiorum Astrologorum supputatione dies 272; quibus præter lapsis, decimo nimirum die Ianuarij Eclipsis hæc effectiones suas longè lateq; disperget. Atenim jejunius hæc sine exemplorum appositione differunt: ideoq; nonnulla, non prisca, sed quæ intra hominum memoriam evenerunt, proferam, & cum hoc Lunæ deliquio brevissimè conferam. Anno Christi 1539. contigit quoq; in eodem signo  $m$  Lu-  
næ deliquium, quod effectu non caruit. Consecu-  
tus est propter turbulētos in Ecclesiâ motus Smal-  
caldiæ conventus Friderici Ducis Saxoniz cum cæteris principibus & civitatibus religionis no-  
mine fæderatis eorumq; Theologis, qui Articulos  
Smalcaldicos conscriperunt. Consecutus est &  
Elizabethæ Caroli V. uxoris, & Erici Ducis Brun-  
suicensis senis obitus, illâ scilicet laboribus partus,  
hoc verò dysenteriâ extinctis. Objerunt etjam in  
prælio Westphaliæ duo principes Balthasarus &  
Bogo,

i 4. Cal.  
Maj.

Vide  
Chron.

Chyr.

Sax.

Anno

1540. Mæ-  
si Iun.

au. æt. 70

Bogo, ille nono die Octobris, hic duodevigesimo.  
Decennio post, anno nimirum 49. 3. id. April. ea-  
dem ferè horā noctis & eodem in hoc signo acci-  
dit Lunæ Eclipsis, cuius malorum semina etjam in  
Romano Imperio hic illic dispersa sunt. Anno e-  
nim sequente vigesimo octavo Ian: princeps Me-  
gapolitanus Magnus Hinrici filius, nomine & ve-  
ritate magnus, summo cum parentis senis, cū con-  
jugis nobilissimæ Elizabethæ Friderici I. Daniæ  
Regis filiæ (quæ postea illustrissimo nostro princi-  
pi & Domino clementissimo, Domino Udalrico  
iterum nupsit) imò cum subditorum omnium do-  
lore & luctu Butzovię in Domino expiravit. Quin  
etjam dux Megapolitanus Georgius seditione in  
hoc Ducatu motâ, arcem Episcopi Butzoviensem  
aliquot dies obsedit. Bellum præterea non solum  
Magdeburgense, sed etjam crudelissimum in Li-  
voniâ cum Rhutenorum Duce consecutum est.  
Unam adhuc Lunæ defectionem quæ in hoc signo  
& quidem omnium vestrum ferè memoriâ, anno  
scilicet 58, contigit, & quam tristes clades cum eo  
ipso, tum sequenti anno procreaverit, memoriâ  
quæso mecum repetite. Ecclesiæ duos summos

14. Cal.  
Maij.

Anno 2.  
tat. 173. Theologos senes, Joannem Bugenhagium & Er-  
hardum Snepium ademit. Imperium quoque Ro-  
manum non tantum ipso capite, Carolo scilicet  
4. id. Oct. Magno sempiternâ memoriâ digno Imperatore;  
sed etjam multis membris, regibus & principibus  
orba-

orbavit. Mortui sunt enim Wilhelmus Dux Brun-  
suicensis exul Myrovij : Comes Mansfeldinus  
Gebhardus octogenarius: Christianus III. & pa-  
truelis ipsius Christiernus II. Reges Daniæ, uterq;  
intra mensem: Hinricus Rex Galliæ; Romanus 8.cal.Feb  
Pontifex Paulus IIII. Hercules Dux Ferrariæ;  
Franciscus Otto Dux Lunæburgensis: Wilhelmus 6.Id.Iul.  
princeps Hennebergensis: Otto Hinricus Elector 3.id.Ang.  
Palatinus. Taceo Heroinas, nempe duas Marias,  
unam Caroli V. sororem, alteram nurum: item  
Catharinam Brunsvicensem Magni Ducis Saxo-  
niæ viduam: Nec dicam de bello in Dithmarsia 15.cal.Iun  
hoc anno cœpto & gesto. Jam, si tres illas Eclipses  
in signo m factas, in quibus totum Lunæ corpus  
non fuit obscuratum, tam memorabiles eventus  
consecuti sint: quanta nobis pericula ex hac Ecli-  
psi, ubi Luna & tota & tantâ cum morâ, quantâ in-  
tra centum annos ter saltē factum est, deficit,  
pertimescenda esse judicabimus? præsertim cum  
Eclipsis Solis mense Septembri futura hujus deli-  
quij minas plenius executura sit, ut ita utrumq; lu-  
men in disperditionem populorum conjurasse vi-  
deatur.

Sed de his satis: ad judicium Theologicum pro-  
pero, quod ex sacrarum voluminibus desumitur.  
Cum enim Deus omnium rerum creator dixerit, Gen. i.  
illa lumina, Solem & Lunam, præter alios usus, et-  
jam hunc habere, ut sint signa: consequens est, il-

D lorum

lorum immundos vultus, quos, dum scelerat fissi-  
mis quibusdam & impurissimis hominibus ad ne-  
quitias designandas luce suâ, licet invita inservie-  
runt, induunt, unde impuritatis suæ cōscia in con-  
spectum Domini prodire dubitant, singulare ali-  
quid de Deo ipsiusq; adversus genus humanum  
voluntate ostendere. Ostendunt autem (ut paucis  
multa dicam) Dei in peccatores animū, ut iratum  
in omnes, sic placabilem, in pœnitentes. Quemad-

Ieb. 25. 2. Re. 22. modum enim Rex & Vates Davides ex tremore  
Psal. 18. terræ, ex fulguribus & coruscationibus de offen-  
so Dei & inflammato animo judicat; ita etjam cer-  
tissimum irati Dei indicium est, quando ipsius mi-  
nistri, Sol & Luna tam tristi vultu & importuno  
nos intuentur. Non dicam (neminis enim tanta  
est dicendi copia, dicere ut possit) quantum fuerit  
signum iræ Dei, cum ipse non solum pater, ne fæ-  
ditatem peccatorum, quæ filij sui humeris erant  
imposita cerneret, faciem, dum pateretur, averte-  
rit. Sed etjam Sol, ne blasphemias, quibus & Judæi  
& milites creatorem suum prosciderunt, aspice-  
ret, radios suos per integras tres horas cohibuerit.  
Iratio autem Deo pœnæ etjam si non ex templò,  
certè tamen & quidem longè graviores sequen-  
tur: quanquam vel ad extremum usque judicium  
differantur; cuius signa Ecclipses luminarium esse,  
nemo vestrum est, qui ignoret. Ipse enim Deus  
minatur, se prodigia daturum in Cœlo & in terrâ:

Joel. 2.

itemq;

itemq; Solem & Lunam , nempè in suis deliquijs  
conspectum iri, illum tenebrosum, hanc sanguine-  
am, antè quām dies ille magnus veniat & terribi-  
lis; terribilis, inquit, omnibus impijs, quos coram  
tribunali suo severissimè objurgatos, sempiternis  
inferorum flammis excruciantos pronunciabit.  
Idem Christus ait, in Sole videlicet & Lunâ signa Luc. 21.  
fore, antè quam veniat filius homines omnes om-  
nes vivos & mortuos judicaturus & singulis di-  
gnam ipsorum facinoribus sententiam prola-  
rus. At quia Deus non solum vix momentum tem- Psal. 29.  
poris irascitur, nec libenter homines punit, ut Rex  
Manasses testatur: sed etjam præ magnâ φιλαθρωπίᾳ Manass.  
suâ & misericordiâ, quę tanta est, ut sub mensuram Psal. 130.  
non cadat, resipiscientibus peccata lubens dimittit, Ezecl. 33.  
nec quicquam ei est potius, quam ut miseri pecca-  
tores convertantur & vivant: ideoq; etjam in ipsis  
luminarium deliquijs, misericordiæ suæ memor,  
placabilem paternumq; in nos animum declarat.  
Sicut enim pater indulgens antè aliquoties, quam  
feriat, liberis suis turpe quid delinquentibus virgas  
ostendit, minas addens, nisi vitâ deinceps & mores  
emēdaverint, hoc graviores pœnas ab ipsis sumitū  
iri: ita etjam indulgentissimus noster pater cœlestis,  
non statim in ipso irarum ardore maleficia nostra Deut. 32.  
vindicat, sed semper antè, quām puniat, signa ali-  
quot suppliciorū prænuncia, vel in cœlestibus cre-  
aturis, vel in terrestribus, præmitit: veluti exem-  
plis innumeris posset, nisi esset cognitum, probari.

Vide Spæ  
ram Pie-  
rii Vale-  
xiani.

Ecquid vero nos agemus? Ethnicorum pleriq;  
quoniam Lunaris lucis defectiones ex maleficio-  
rum incantationibus opinabantur accidere, cym-  
balorum tinnitu & clamore acutissimo calamita-  
tibus, quas presagiebant futuras, occurrentum pu-  
taverunt; at nos Christiani longè aliâ ratione eas-  
dem declinabimus: si nimirum & exemplo ipsius  
filij Dei, cum tenebris obrutus à cruce penderet,  
Deum invocemus, & verè pœnitentes, liberorum  
more veniam deprecemur: erravimus, pater, lapsi  
sumus, temerè fecimus, pœniter, ad clementiam  
tuam confugimus, delicti veniam petimus, ut i-  
gnoscas oramus, operam, ne unquam posthac, da-  
bimus. Tum ille, quo nihil est indulgentius à cala-  
mitatibus, quæ venturæ fuerant, paternè nos tue-  
bitur. Sed de hoc haec tenus: magna enim res est,  
alio loco & tempore à verbi divini ministris plu-  
ribus verbis multoties explicata.

Restat altera Eclipsis species, quam non natura-  
lem dixi, eo quod non modo illius causæ naturales  
reddi non possint, sed etjam naturæ legibus planè  
repugnet. Hanc rursus docendi gratia in duo ge-  
nera distinguam, videlicet in Metaphysicam &  
Hypermetaphysicam seu typicam. Metaphysica  
Eclipsis luminarium est, quæ non potest, ut supe-  
riores, ex constanti eorum motu juxta Astrono-  
morum canones prædicti, sed supra naturam mira-  
culosè accidit: qualis ea fuit, quæ in corpore Solis,

Dei

Dei & hominis filio mortis pœnam & patris iram  
pro nobis sustinente, facta est; quam veridici vates  
veteris testamenti & typis & verbis non obscurè  
præmonstrarunt. Nam quomodo tam crassis te-  
nebris & horribilibus, ut nec alter alterum videre,  
nec quispiam movere se loco posset, tota Ægyptus Exo. 10.  
Sep. 17.  
per triduum antè circumfundebatur, quām inde  
tanquam ex ergastulo Pharaonis populus Israëlit-  
icus à Mose educeretur: Sic etjam, cum à vero Jo-  
sua, filio scilicet Dei longè illustrior populi sui ex  
captivitate peccati, mortis, Diaboli, fieri debebat  
eductio & redemptio, extincto Sole justitiæ creato- Malac. 4.  
re, in Sole creato per tres horas superq; universam  
terram, non labor lucis, sed inaudita præcessit &  
terribilis extinctio. Deinde expressis quoq; verbis  
hanc Eclipsin tempore meridiano futuram non  
solum Jeremias & Amos prædixerunt, sed Joel Ierem. 15.  
Amos 8.  
Joel. 3.  
Psal. 146.  
Gen. 49.  
Esa. 29.  
præterea etjam hoc addidit, in ipso lucis defectu  
Dominum Sionis, qui est verus Messias, Hierofo-  
lymis instar Leonis, (quo cognomine illum & Ja-  
cobus senex & Esaias appellant) tantum rugitum  
esse editurum, ut cœlum & terra horribili mugitu,  
fremitu & motu contremiscant: quo de rugitu  
Augustinus etjam meminit, inquiens: patitur ut  
agnus, rugit ut leo. Postea verò, quam inter omnes  
constat, Solem hoc tempore omnino fuisse luce  
orbatum, quando idipsum factū sit operæ pretium  
erit cognoscere ut de anno & redemptionis nostræ

D 3 &

& redemptoris ipsius certiores fiamus. Quamobrem: quia majores, qui ante nostram memoriam jamdudum Ecclesijs præfuerunt, hac de re prorsus dissentient. Tertullianus, Laetantius & alij nonnulli Christum anno ætatis tricesimo, 8. Cal. Ap. quo scilicet die primi homines creati esse & lapsi dicuntur, eosdem recreasse & erexisse referunt, hancq; Ecclipsin contigisse: sed hos cum historiæ consensus, tum præsertim Evangelista Lucas, qui Christum eo anno in Baptismatis undam ait immersum, facilimè refutant. Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus & pleriq; recentiorum, anno ætatis Christi trigessimo quarto, octavo Cal. Apr. contigisse hæc asserunt; verum his obstat dies paraves, qui huic anno ad hunc diem non responder. Quam Epiphanius aberraverit, qui anno Christi trigesimo quarto, decimo quarto Cal. Apr. Solem obscuratam esse non dubitavit affirmare, brevitas causâ non dicam, cum hac ratione postridie paraves, hoc est, ipso die Sabbati Christus expiasset. Nec dicam, quam à veritate rei absint Beda & Theophilus Alexandrinus, qui tempus Eclipsios hujus retulerunt in annum Christi tricesimum & decimum Cal. Apr. Hos enim si sequimur, mortuus erit Christus ipso die solis. Sequimur Lucam Gauricum in ipsius uraniam: Christus die Mercurij cruci affixus erit. Atenim quis has tot dissensiones, tam discrepantes componet? Theologia non potest:

rest: siquidem in sacrâ scripturâ non contineatur. Calculo opus est Astronomico, qui veram Christi ætatem, & proinde diem hujus solaris deliquij patet faciet, ex metis luminarium Solis & Lunæ, quæ scilicet ostendunt, quintam decimam Lunam die Veneris, 3. Non. Apr. cum pridie celebrandum erat Phase Domini, expletam anno ætatis tricesimo Exo. 12. tertio, sive anno Tiberij Imperatoris duodevigesimo, & anno gubernationis Pontij Pilati Galli, in Judæâ præsidis septimo, Olympiadis ducentesime secundæ quarto: quo tempore plenilunium in primâ facie Arietis juxta motuum doctrinam convenit cum eo, quem dixi, die, qui feria sexta fuit, hora prima post meridiem Hierosolymis. Hæc de tempore Eclipsios istijs breviter monenda esse duxi. Nunc porro & quidem paucis ostendam, hæc Eclipsis Solis cur non fuerit naturalis, sed miraculosa, virtute divinâ facta. Nec vero dicam omnia, quæ dici possunt, quæq; ab alijs alibi dicuntur, sed tria saltem pro sententia mea confirmanda proferam, temporis incommoditatem; moræ diuturnitatem; deliquij generalitatem.

Facta enim est decima quinta Luna, qua Judæi paschalem jubebantur celebrare solēnitatem cum scilicet lumē lumini fuit ex diametro oppositum. Sole scilicet in  $\nu$  & Luna in  $\cong$ , Æsculo Astrologo teste existentibus. Sed cum tempus magis incommodum dari nullum possit, nullum quo duo ista lumi-

I.

I I. lumina longius distent, cæcitatem hanc Solis fuisse miraculosam, nemo, nisi mentis cæcitate laboret, non animadvertis. Auget deinde hoc miraculum mora Eclipsios diurna. Sol enim & propter magnitudinem qua Lunam antecellit & propter Lunæ nimiam velocitatem, non potest diu à nostro obtutu prohiberi; Hæc vero, de qua agimus, Solis Eclipsis tam admirabilis, tam horrida, per trium horarum spaciū, ab horâ, videlicet sextâ (respectu horarum Planetiarum sive Zodiaci, quibus Judæi videntur usi) usq; ad nonam pomeridianam duravit.

III. Tertium restat quod miraculi hujus amplitudinem magnoperè exagerat, quod videlicet hæc Eclipsis fuerit generalis. At sunt, qui eam particularem, & quidem in Judæa tantum fuisse afferant! equidem scio: sed verisimilior est altera opinio, quæ scilicet & scripturæ sacræ & fidei historicæ & ipsius rationis, fulcitur rationibus. Ad scripturam quod attinet, Matthæus inquit, tenebras factas esse ὡς πᾶσα τὴν γῆν, id est, super om-

a.  
Matt. 27. nem, super uniuersam, super quamlibet terram,  
ver. 45. Marc. 15. hæs enim adjectivum græcum significationes ha-  
Luc. 23. bet: Imo Marcus & Lucas, vt dubium hoc omne tollant, hac loquendi formâ utuntur, ἐφ' οὐκέτη τὴν γῆν, id est, super totam seu uniuersam terram, hoc est super totum illud hemisphærium, quod illustrari debebat. Etsi enim vox græca (γῆ) interdum, præsertim in oratione ligata pro regione aut patria usur-

usurpatur: in solutâ tamen, qua & Evangelistæ  
scripserunt, plerunq; aut pro terrâ, aut pro terræ  
superficie accipitur, ut & his locis, ubi adjectivum  
(<sup>38</sup>) quo nullum est significantius, adjunctum re-  
perimus.

Monstrat deinde id ipsum fides historiarum. E.  
Nam non solum in Judæâ, quod ex Evangelistis  
constat, nec solum Heliopoli in Ægypto, à Dio-  
nysio Areopagita & Apollophane summis philo-  
sophis hoc Solis deliquium conspectū fuit, ut epi-  
stola Dionysij ad Polycarpū exarata testatur: Sed  
etiam Phlegon Trallianus Adriani libertus omniū  
Chronographorum accuratissimus anno quarto lib. Chro-  
ducentesimæ secundæ Olympiadis, annourbis Ro-nic. 14.  
mæ septingentesimo octogesimo quarto, Camillo  
Aruntio & Domitio Aenobarbo C S S. maximam  
Solis Eclipſin notavit, qualem nulla antè secula vi-  
derant, eamq; cum tanto terræ motu conjunctam,  
qui & Nicææ, in metropoli Bithyniæ multas ædes Oros. lib.  
subverterit, & in reliqua Asia tot civitates tremo- 7.  
re suo conquassaverit, ut à tributis Rom. imperio  
quotannis antè datis, ad resarcienda damna illas  
vindicaret. Testis est præterea Eusebius. Testis est lib. 9.  
Lucianus presbyter Antiochenus, qui, Scrutemi- cap. 7.  
ni, inquit, annales vestros: videbitis tempore Pila-  
ti cessasse lucem media die, dum Christus patere-  
E. Dicitur.

in Apol. tur. Quin & Tertullianus Ethnicos ad eorum lib-  
y. brorum testimonia revocat. Deniq; etjam rationi consentaneum est, deliquum hoc fuisse generale, ut mors Christi eò redderetur gloriosior, & in testimonium abominandi facinoris non solum fama ipsius mortis apud omnes exterarum nationum homines, quorum ad salutem quoq; hostia illa, agnus scilicet immaculatus & perfectus in Iudæa immolabatur, per miraculum increbesceret: Sed etjam creatoris funus creaturæ, homines scilicet omnes lugerent & converterentur: id quod eventus rei declarat. Non enim solus ille centuri,

Matt. 28. vissis his in Iudæa miraculis pronunciavit, Jesum verè fuisse Dei filium: sed in Aegypto quoq; Dionysius Areopagita admirabilem rei portentosæ insolentiam perhorrescens, memorabilibus hisce verbis exclamasse perhibetur: aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur. Sunt et-

Aa. 17. jam, qui Athenienses hoc signo motos aram Deo ignoto inscriptam erexit, affirment. Quin imo

a. Reg. 20 si ut quidam scribunt, miraculum illud de umbræ solaris regressione ad Ezechiam de recuperandæ sanitatis certitudine erigendum, non in Iudæa solum, sed etjam in exteris nationibus exhibitum perceptumq; fuit: unde & Babyloniam regem admiratione obstupefactum legatos ad Ezechiam legimus misisse, illum de hoc portento quod super terram

terram acciderat, ut percun̄tarentur: quanto ma-  
gis istud miraculum non in Judæâ solum fieri, sed  
et jam apud exteris divulgari convénit. Et ita per-  
spicuum est, hanc Eclipsin fuisse generalem &  
proinde non naturalem, sed metaphysicam, natu-  
ræ scilicet leges superantem

Superest ultima Eclipsium species, videlicet hypermeta-  
physica seu typica sive allegorica, quocunque nomine velimus  
appellare. Quemadmodum enim Sol filij Dei typus est, unde Psal. 18.  
& varijs scripturæ locis cum splendore Solis confertur: Sic Matth. 17.  
Luna refert Ecclesiam. Sed quia temporis concessi, horæ scili- Apoc. 1.  
cet angustia augustam hujus materiæ amplitudinem non ca- Cantic. 6.  
pit, quæ tanta est, ut singularem orationem desideret; qualem  
et jam à viro doctissimo Domino M. Nathane Chytraeo habi-  
tam & typis excusam memini: ego igitur velo orationis con-  
tracto, finem dicendi facio, invocans I. C. filium Dei unigeni- Malac. 4.  
tum, qui est Sol justitiæ unicus, non creatus sed essentialis & Colos. 1.  
splendor gloriæ patris æternus, & lux mundi purissima, nul- Matth. 4.  
lis tenebris mixta, illuminans omnem hominem venientem Iohan. 18.  
in hunc mundum: ut primum instar Solis creati, saluberrimis Joh. 12.  
& Evangelii & Sacramentorum radiis clarissimam lucem ve- 1. Ioh. 1.  
ræ agnitionis Dei, veræ justitiæ & vitæ æternæ in mentibus Esa. 9.  
nostris, qui naturâ in tenebris & umbrâ mortis sedemus, ac- Luc. 1.  
cendat, foveat & conservet. Nisi enim iphius verbum tanquam Psal. 119.  
lucerna, in loco tenebroso luxerit, nunquam in cordibus no- Esa. 8.  
stris dies & lucifer orientur, sed perpetuam Solis Eclipsin, non 2. Pet. 1.  
modo dum hic vivimus, in peccatorum umbra, quæ tanta sœpè Esa. 9.  
est, ut ad cœlum usque dicatur ascendere, & obstatre quod mi- Esdr. 9.  
nus beatæ lucis radij cordibus nostris immittantur, sentie- Matth. 22.  
mus: verum etiam in altera vita, vel morte potius immortali, Sapien. 5.  
infinitis circumfusi tenebris, cum luctu & tremore dentium Esdr. 9.  
deplorabimus: ut deinde peccati, mortis, calamitatum & in- Luc. 1.  
ferorum tenebris depulsis, corda nostra frigida leni & tepidâ Esa. 16.  
Spiri- Psal. 18.

*Matt. 12.*

<sup>13.</sup>

*Marc. 13.*

Spiritus Sancti aurā calefaciat, vivificet, erigat, & portentosas  
illas Eclipsum significaciones vel avertat, vel minuat, vel ad  
ad extremi judicij diem, plurimos jam ante annos & ab ipso  
prædictum & à piis desideratum, quām primum compareat, ne  
signa hæc nobis amplius signorum loco habenda, timorem in-  
cutiant, sed nos omnes omni periculorum metu tenebrarum.  
que horrore proflus exempti, in æternam æternæ  
ac beatissimæ vitæ securitatem & semp-  
terna lucis gaudia trans-  
feramur.

D I X I.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1041861486/phys\\_0041](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041861486/phys_0041)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1041861486/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041861486/phys_0043)



in Apol. tur. Quin &  
brorum testi  
γ. consentaneu  
ut mors Chr  
stimonium a  
ma ipsius m  
num homin  
la, agnus sci  
dæ immola  
Sed etiam ci  
cet omnes li  
ventus rei d

Matt. 28. visis his in  
verè fuisse I  
nysius Areo  
solentiam p  
verbis excl  
patitur, aut

Aet. 17. jam, qui A  
ignoto insc

a. Reg. 20 si ut quidam  
solaris regi  
sanitatis ce

2. Paral. lum, sed e  
32. perceptum  
miratione  
gimus misi

us Ethnicos ad eorum li  
ocat. Deniq; etjam rationi  
quium hoc fuisse generale,  
eretur gloriofior, & in te  
li facinoris non solum fa  
omnes exterarum natio  
ad salutem quoq; hostia il  
culatus & perfectus in Ju  
miraculum increbesceret:  
us creaturæ, homines scili  
converterentur: id quod e  
on enim solus ille centurio  
aculis pronunciavit, Jesum  
sed in Ægypto quoq; Dio  
mirabilem rei portentosæ in  
ens, memorabilibus hisce  
hibetur: aut Deus naturæ  
china dissolvitur. Sunt et  
hoc signo motos aram Deo  
xisse, affirment. Quin imo  
miraculum illud de umbræ  
Ezechiam de recuperandæ  
rigendum, non in Iudæa so  
teris nationibus exhibitum  
de & Babyloniæ regem ad  
tum legatos ad Ezechiam le  
te hoc portento quod supér  
terrā

